

attamen in summo collis posita, vivo saxo ac muro muniebatur. Quare & loci difficultate, & Oppidanorum labore & industria, Oppidum sine magna hominum strage nequam expugnari potuisset. Data igitur opera est, ut ad dejiciendos muros, & vallum infringendum aenea tormenta deferrentur, quae celeriter postridie Brixia in curribus delatae sunt. Horum maximum quinto jactu in mille ferè partes, cum nonnullorum hominum caede & lethali vulnere effractum est. Interea Legatus Lauredanus Gentile comite, & aciebus septem cum ducentis sagittariis huc se se contulit, non quòd tali auxilio foret opus Scipioni, verum ut si quid tractaretur, praesente Legato, & Veneti Senatus nomine conficeretur. Et jam accepissent Castionenses conditionem, nisi tormentum id ante fuisset effractum: quapropter ingentes animos accepere. At Bracciani utriusque Ordinis milites, manubiarum cupidi, moraque impatientes, & auctoritate Imperatoris ac gloria incensi, oppugnare Oppidum coeperunt. Pedites, qui pro loci praesidio aderant, & Oppidani se se acriter defendebant. Jam nostri collem ascendunt tanto cum clamore hominum, & tympanorum, ac tubarum clangore, ut aë, sylva, & loca omnia omnia resonarent. Accedebant Scoppetiorum bombi, sagittarum, & scorpionum stridores, quibus rebus omne caelum intonare videbatur. Vincunt hinc antemurale Bracciani, praetereunt inde foveas, & iam vallum ascendebant, non armati solum, sed inermes, & quod incredibile dictum est, solo sacculo circumincti. Dicit quispiam: perpauci hoc facinus fortassis audebant; immo invidia inter omnes exorta est, ne alter alterum anteiret. Quapropter mille homines, & totidem ab asseribus vallo pendere videbantur. Vidi ipse, vidi Albanensem, ut nomine magnum, ita & animo & viribus, & corporis agilitate praestantem; vidi armis & casside indutum capreoli more vallum ascendentem, & ut hostem à defensione propelleret, maximo conatu tentantem. Sed Oppidani vetere; nam cum solo imminenti praestarent, cum non parva nostrorum strage, ac diversis vulneribus quamplurimos repulere. Ergo securis ictu super casside accepto Albanensis rejicitur, qui acrius ad pugnam illusus iterum reversus est. Julius Romanus in primo aetatis flore, terti humilis, at strenuus tamen miles, & moria dignus; hic alter ab Albanense per mille gladiatorum saxorumque vulnera semianimis è vallo ad foveam deiectus est; atque inde veluti cadaver abstractus, ubi paulisper conquiescit, equum subito armatus ascendit, ac Scipioni comes militavit. Fecere idem quamplurimi Scipionis domestici, & utriusque Ordinis milites, quos omnes à vallo ad foveas Castionenses deiecerunt.

Tunc Scipiadae graviter & iniquo animo ferentes, quòd tam turpiter deicerentur, instare ardentius, Vallumque iterum scandere. Oppidani contra venabulis, & rubiginè tinctis ensibus, Braccianos ferire, sagittas, scoppettos, & viva saxa jacere, quae caelum intexere videbantur. Joannes Picinnus Gaidensis trajectus aeneo tormento pectora in hac pugna decubuit. Hic erat Caesaris Martinengi Centurio, qui eo die Legati comes ad Scipionem venerat. Polonus in

A sinistro crure scoppetto sauciatur. Joannes Antonius Gatamelata filius in casside ad cerebrum eodem instrumento percussus, adulescentulus quidem infelix, qui ut erat animo, ita eloquio, ingenio, & morum facilitate praestantissimus. Quid verbis opus est? Quemadmodum erant varia telorum genera, sic varia morte decumbebant, aut icti pedem retro flectebant. At quid loquar de magnanimitate Scipionis? Quid de cordis fortitudine? Qui primus omnium, ut suos milites ulcisceretur, scalas humero ferens, vallo primus omnium ascensus apposit. Sed nova res oblata mutavit consilium, propterea quòd decem hostiles acies Ordine suo instructae & peditum ferè mille, Roberto de Sancto Severino Duce Castioni subsidium afferentes per latos campos Carpeneto adventabant. Id cum Scipio cernebat, dimissa murali pugna, milites tubarum voce revocari fecit, equos scandere. Equitans ipse Angelo Comiti, Paulello Romano, & Jannurio Guarino Praefectis militaribus edicit, ut antecedentes, omni ratione manum cum hoste conferant. Iubet idem Lazaro Pontoliano, militi quidem egregio, & festinantem hostem nantiant. Ipse, dimisso Gubernatore, pro loci custodia, ne forte quae paratae essent insidiae ad Oppidanorum subsidia transirent, aut ne qua exercitus ab hoste invaderetur, obviam hosti profectus est. At Castionenses cum appropinquare eorum subsidia cernebant, & Braccianos pugnam deserere, sumtis majoribus animis ictus ingenimant, caeca saxa projiciunt: qui vallum ascenderant, omnes viriliter deiciuntur. Inhaerentes asseribus, marmorum copia & telis propelluntur, adeo ut nostri terga vertentes palmam eo die Oppidani relinquere. Nefastum, optime Rex eundem diem tam infelici oppugnatione judicavi. Ex omni enim exercitu quinque & triginta oppetere, milites verò utriusque ordinis trecenti, quidam levi, nonnulli lethali vulnere sauciati sunt. Ex Castionibus autem duos de viginti vulnere affectos, ac tantum quatuor caesos invenimus.

Jam prima Scipionis acies ad passus trecentos hostibus propinquabant, cum quibus Robertum magnanimum Ducem non dubitabam certaturum. Sed posteaquam Imperatoris adventum intellexit, & armata agmina habuit ante oculos, paulatim cedere; Romanus Guarino Comite audentius insequi, Sforciani Carpenetum petere, terga vertentes, Scipiadae curriculo currere, ut hostem attingerent. Denique quingentos & mille passus hostem persecuti sunt. Sed post ubi ad semitam quamdam pervenere inter vineas, & paludes: hic Robertus versa fronte, revolutoque sonipede, *Stato*, inquit, *scitii; hic virtutem, hic nostros & nostrorum hostium animos experiamur*. Equum interea Praefectus Romanus perstringit, & praeterea hostem in medios hostes elabitur. Guarinus aciem hostilem perturbat. Sequuntur alii Bracciani; Lazarus, & Angelus Comes conferunt pugnam; stant immota Sforcianorum acies; pugnat egregie, & Marte incerto. Sed cum primum comantem properantis Scipionis galeam inspexere, in alterius loci difficultatem, ubi pons erat, se se pedetentim Sforciani contulerunt; hic peditum subsidio freti,